

RHODOLPHVS I. BVRGVNDIAE REX.



Rhodolphus filius fuit Conradi, & nepos Hugonis aut Hugoprechtii, ex illustri Habsburgensium familia oriundus. Is animi & corporis insigni fortitudine p̄ditus fuit. Itaq; sub Carolo Simplicii Gallorū rege ordines ducens magnā auctoritatē acquisiuit, atq; paternā ditionē uersus Galliā plurimum auxit. Postea etiā Gerardo Rossilonēsi ad S. Quintini urbē profligato, eius filiā uxorē duxit, atq; eius ditionē regis Galliæ permissiōe sibi adiunxit. Vnde uicinorū regnorū accessione, in finib. Allobrogū & Narbonensi puincia regū Burgundionū nomē magna dexteritate recuperauit.